D. CAECILII

CYPRIANI

Episcopi Carthaginiensis

De Vnitate Ecclesiæ,

Libellus singularis,

Cum vet. Mss. diligenter à Theologis Oxonienſibus collatus.

Editus unà cum annotationibus

IEREMIAE STEPHANI

SS. Th. Bacchal.

BIBLIOTECA

LONDINI,

¶ Apud THOMAM HARPERVM,

Impensis *Philemonis Stephani,* & *Christopheri Meredith.*

M.DC.XXXII.

MO.72.Ph.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

ILLVSTRISSIMO *Honoratißimo Dn.*

D. THOMÆ COVENTRY, Baroni de Aylsborough, Magni Sigilli Angliæ Custodi &c.

Ierem. Stephanus S.

ITA ingenium est omnium, ut malint culpam deprecari quã vitare: quod mihi in præsentiarum accidit, dum tuam

Amplitudinem compellare non sum veritus, & levidensi hac opella tua tempora morari: at si cum tot concurrentibus curis quibus assiduè distineris, paria fecisti, & penitiùs introspicere digneris, paratior erit venia. D. Cypriani glorioſissimi martyris, aureum libellum, pacis olivam præ se ferentem, affero, adeo tua dignitate non indignum, ut neminem adire magis deceat, quam temetipsum, qui secundum sereniſſimum *Carolum* summus audis æquitatis ac unitatis arbiter. *Beati pacifici*, aiebat verus ille *Rex Iustitiæ*, i-

demque

demque Rex Salem, quod est Rex pacis. Postquam vero te sub pacifici Regis *Jacobi* imperio, amplissimis muneribus defungi, & potentissimi *Caroli*, pacis item cultoris, consilijs præesse Numen voluerit, iustitiæ, pacisque adeo infractum patronum te præstas, ut Ecclesiæ non minus quam Reipub. iure merito habearis Sydus salutare, Columenq; singulare, *Summis enim*, ut ait ille, *imperij moderatoribus, pia & decora suadentes, instrumenta sunt boni sæculi.* Magna autem mihi copia esset memorandi, quantum oderis litesq;,

rixasq;, diligas pacem, concordiam, unitatem, quantum prædiceris à prudentia, integritate, comitate, aliarumq; virtutum choro, quæ omnium venerationem & amorem tibi conciliant. *Quippe qui fastum in sublimitate castigat, docet se meruisse quod adeptus est*: ut præclare Ennodius. Lib. 4 ep. 7. Hæc de te verissima esse prædicant omnes, omniaque bona dicunt, dilaudant, nullaque erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quæ debitis te laudibus in cœlum non efferat. Sed epistolam suscepi scribendam, non panegyricum, nec

pluribus

pluribus verbis utar, ne sermonem hunc à me institutum, aliam in finem existimes, quam vero affinia dicendi, gratique animi pignus aliquod exhibendi. Quod citiùs equidem factũ oportuit, si ingentia tua de me merita spectentur. Verum obstitit hactenus tenuitas mea, parisque hostimenti inopia: ne tamen ingratitudinis aut inertiæ dicam mihi scriberes, tentandum est aliquid, subijtque tandem illud C. Plinij; *Farre & fictili non semel ad capitolium superis litatum, nec minus propitij erant, mola salsa supplican-*

tibus, imo vero, ut palam est, placatiores. Nam ad aram gratiarum (sic habet vetus parœmia) *animus non hostia censetur.* At quoniam de domo numerationem fecere haud nunc liceat, mutuum igitur sumo, & aliena arca utor, demisse supplicans, ut hoc quicquid est operæ sub amplissimi nominis tui auspicijs exire patiaris. Quod unicum restat, iuxta veterem formulam

D. O. M. veneratus bonas preces precor, uti volens

volens dexterque te nobis ſoſpitet, Si non populum Britan. perоſus eſt. Quæque agis, egiſti, axis, verrumcet optume.

Hoc privatim, hoc publice opto.

LECTORI.

OCcasione schismatis Novatiani, ut suos Carthaginienses deterreret, alioqui non multùm ab illo abhorrentes propter Novatum & alios quosdam suæ Ecclesiæ Presbyteros, totius tragœdiæ auctores, librum hunc conscripsit Cyprianus. Atque inprimis, postquàm adversus illorum insidias communitos ad constantiam

tiam hortatus est, hæreseon causam esse docet, non quòd caput Ecclesia non quæritur, & primatus Petri contemnitur, uti male colligit Pamelius; sed quòd veritatem & cœlestem doctrinam à Christo propositam, unitatem in Ecclesia commendantem contemnant hæretici. Postea verò testimonijs Scripturæ & appositis similitudinibus unitatem depingit, eiusque mysterium in Christi tunica latuisse affirmat, deinde schismaticos ipsos cominùs adoritur, & Novatiani ambitum in invadendo Episcopatu Romano paucis perstringit, & gravissimis rationibus pastores

res ad unitatem hortatur. Pacificos, *inquit*, esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, sibi unanimitatis nexibus cohærentes. *Nam ut Firmilianus ait, epist.* 75. Adunatio & pax, & concordia non solum hominibus fidelibus, & cognoscentibus veritatem, sed & angelis ipsis cœlestibus voluptatem maximam præstat. *At cum Dominus præmonuit hæreses esse oportere, idque nos hisce tam perditis moribus & inimicis paci temporibus nimis esse verum experiamur, Bonum factum visum est hanc S. Cypri-*

ani

ani lucubrationem seorsim excudere, & hoc quasi obice in præcipitium ruentes interim sufflaminare, quo simul discant, & rem esse periculi plenam, & væ illis ab æterno Pontifice pridem dictum, quibus iuste imputari scandalum possit. Crebrò igitur, omnium auribus illud Christi legatum insonare convenit, Pacem relinquo vobis, pacem illam meam do vobis. Hæc mando vobis, ut diligatis alij alios. *Sæpiusque recolendum, nihil nobis tam odio esse debere, quàm dissensionem, quàm scissuram, communis hostis votum atque opus: nihil tam cordi, quàm pacem, quàm unitatem fidei &*

charitatis mutuæ germen, iustitiæ sororem, omnium bonorum matrem: abſit Eccleſiam ſcindendi animus, extirpetur potiùs diſcordiæ fomes, vndecunque eſt, & ſi comicis verbis in re tragica uti liceat, pereant qui inter nos diſsidium volunt. In eadem gente, in eadem familia, quæ unius nomen præfert, non ſit Iuda & Iſrael, Ieruſalem & Samaria, Sion & Bethel, aut Garizim, ſimus potius unum omnes, unum ſpiremus, ſub uno capite, ſub uno duce, qui pater eſt miſericordiarum, auctor charitatis, princeps pacis; unoque ore precemur. Do. Ieſu Chriſte, qui

pax

pax es nostra, qui fecisti utraq; unum, fac nos unum, ut vere tandem cantemus, Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in unum:

Sint unum, doceant unum, faciantur et unum: Vnum qui à Christi nomine nomen habent.

Psal.

Psal. 133.

Nil charitate mutua fratrum, nihil
Iucundius concordia. (ditur
Non aura suavis balsami, quũ fun-
Aronis in sacrum caput; (nus
Et imbre læto proluens barbã & si-
Limbum pererrat aureum.
Non ros, tenella gẽmulis argenteis
Pingens Sionis gramina,
Aut verna dulci inebrians uligine
Hermonis intonsi inga. (iuvat
Fraterna quam pax incolit domũ
Dominus benigna dextera,
Et opibus auget, filiorum & filios
Multis propagat sæculis.

DE VNITATE Ecclesiæ Catholicæ.

ARGVMENTVM LIBRI sequentis.

ARG. 1. *Priori parte tractatus occasionem sumens à Novatiani schismate Cyprianus, pastores ad unitatem in Ecclesia conservandam gravissime hortatur. Primum autem ingentia illa pericula quæ Ecclesiam intus premunt, & credentium officium proponit.*

2 *Deinde novam illam Satanæ versutiam, nempe hæresεων & schismatum figmenta describit.*

3 *Hæresεων & schismatum fontem indicat, nempe veritatis & cœlestis doctrinæ à Christo propositæ, unitatem in Ecclesia commendantis,*

dantiũ, contemptum. Cuius unitatis origo in Apostolis demonstratur.

4 Inde ad pleniorem unitatis Ecclesiasticæ declarationem accedens, eam testimoniis Scripturæ & appositis similitudinibus depingit.

5 Ex superioribus infert extra unitatem Ecclesiæ nullam inveniri salutem.

6 Vnitatis illius mysterium in Christi tunica latuisse affirmat, cui opponit scissuras Ieroboamicæ vestis.

7 Altera pars, in qua schismaticos comminus aduritur, varijsq; Scripturæ telis configit, unanimitatem esse Christianorum characterem affirmans.

8 Concordiam & simplicitatem piorum columbæ & ovi comparat, schismaticorumque mores multis similitudinibus adumbrat.

9 Rationem addit cur hæreses in Ecclesia esse Dominus patiatur,

&

& hæreticos atque schismaticos exhibet vivis coloribus depictos.

10 Obiectioni eorundem, de duobus aut tribus in nomine Christi collectis satisfacit.

11 Cum quibus, quomodo & quando Christus esse velit, atque schismaticos fratrum contemptores procul à Christo distare esse ex Scriptura docet.

12 Quum charitate vacui sint, eos martyres Christi filiosque Dei esse negat.

13 Vanam schismaticorum gloriationem refellit, multiplicisque criminis demonstrat esse reos.

14 Schismatis à Novatiano exercitati infestam cladem & venenatam perniciem indies crescere conqueritur.

15 Pios consolatur & instruit adversus schismatis scandalum, nec non schismaticos increpat.

16 Seditiosis qui in Mosen &

Aronem insurrexerunt, Oziæ item contra Dei legem thuribulum rapienti, denique filijs Aaronis altari ignem alienum imponentibus, schismatici comparantur.

17 *Lapsorum cum schismaticis collatio, qua schismaticorum culpam adauget.*

18 *Quum autem confessorum nonnulli ad Novatianum defecissent, scandalum illud tollit Cyprianus.*

19 *Confessorum gloriam schismate maculari & tolli affirmat.*

20 *Sicuti Iudas proditor facti Apostolorum fidem non labefactavit, ita confessorum ad schismaticos defectione, piorum dignitatem nullo modo violari asserit.*

21 *Pars postrema libelli, de Christianorum in unitate Ecclesiæ stantium officio disserens: nempe schismaticorum consortium esse fugiendum.*

22 *Ratio huius præcepti, ab eo sumpta, quòd dissidia fugere, pacem persequi, & charitatis vinculum studiosè conservare moneamur.*

23 *Suos deinde perstringit, quod unanimitatis & Christianæ charitatis parum studiosi apparerent.*

24 *Exhortationem addit ex Christi verbis, omnes ut vigilent admonentis, petitam.*

CVM moneat Dominus & dicat, Vos estis sal terræ; cumque esse nos iubeat ad innocentiã simplices, et tamẽ cum simplicitate prudentes: quid aliud, fratres dilectissimi, quam providere nos convenit, & sollicito corde vigilantes subdoli hostis insidias intelligere pariter & cavere, ne qui Christum sapientiam

Dei patris induimus, minus ſapere intuenda ſalute videamur? Neque enim perſecutio ſola metuenda eſt, & ea quæ ſubruendis ac dejiciendis Dei ſervis aperta impugnatione graſſantur. Facilior cautio eſt, ubi manifeſtior formido eſt; & ad certamen animus antè præſtruitur, quando ſe adverſarius profitetur. Plus metuendus eſt & cavendus inimicus, cùm latenter obrepit; cùm per pacis imaginem fallens, occultis acceſſibus ſerpit, unde & nomen ſerpentis accepit. Ea eſt ejus ſemper aſtutia: ea eſt circumvenienti hominis cæca & latebroſa fallacia: ſic ab initio ſtatim mundi ſeſellit, & verbis mendacibus blandiens, rudes animas incauta credulitate decepit: ſic dominum ipſum tentare conatus, quaſi obreperet, rurſus & fallere, latenter acceſſit; intellectus tamen eſt & retuſus, & ideo

ideo prostratus, quia agnitus, atque detectus: unde nobis exemplum datum est veteris hominis viam fugere, vestigijs Christi vincentibus insistere, ne denuo incauti in mortis laqueum revolvamur, sed ad periculum providi accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo possumus, nisi ea, quibus mors expugnatur & vincitur, Christi mandata servemus? ipso monente & dicente, Si vis ad vitam venire, Mat. 19 17
serva mandata. Et iterum; Si feceritis quæ mando vobis, iam Ioh. 14. 15.
non dicam vos servos, sed amicos. Hos denique fortes dicit & stabiles; hos super petram robusta mole fundatos, hos contra omnes tempestates & turbines sæculi immobili & inconcussa firmitate solidatos. Qui audit, inquit, verba mea, & facit ea, similabo eum Mat 7. 24.
viro sapienti, qui ædificauit do-

mum ſupra ſupra petram. Deſcendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim fuit ſuper petrã. Verbis igitur eius conſiſtere, quæcunque & docuit & fecit, diſcere & facere debemus. Cæterum credere ſe in Chriſtum quomodo dicit, qui non facit quod Chriſtus facere præcipit? aut unde perveniet ad præmium fidei, qui fidem non vult ſervare mandati? Nutet neceſſe eſt & vagetur, & ſpiritu erroris arreptus, velut pulvis quem ventus excutit, ventiletur; nec ambulando proficiet ad ſalutem, qui ſalutaris viæ non tenet veritatem.

2 Cavenda ſunt autem, fratres dilectiſſimi, non ſolum quæ ſunt aperta atque manifeſta, ſed & aſtutæ fraudis ſubtilitate fallentia. Quid vero aſtutius, quid ve ſubtilius

lius, quam ut Christi adventu detectus ac prostratus inimicus (postquam lux gentibus venit, & sospitandis hominibus salutare lumen effulsit, ut surdi auditum gratiæ spiritalis admitterent, aperirent ad Deum oculos suos cæci, infirmi æterna sanitate revalescerent, claudi ad Ecclesiam currerent, multi claris vocibus & precibus orarent) videns ille idola derelicta, & per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitaverit novam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos? Hæreses invenit & schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate, circumscribit, & decipit novi itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines, & dum sibi appropinquasse jam lumini

lumini, atque evasisse sæculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit; ut cum Evangelio Christi, & cum observatione ejus, & lege non stantes, Christianos se vocent; & ambulantes in tenebris, habere se lumen existiment, blandiente adversario
2Co.11.14 atque fallente, qui, secundum Apostoli vocem, transfigurat se velut angelum lucis, & ministros subornat suos velut ministros justitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.

3 Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non redditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret & examinet

aminet, tractu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum; Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit; Pasce oves meas. *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas.* Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat, Sicut misit me pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur:

Mat.16.18 &c.

Io.21.16.17

bunitur: tamen ut unitatem manifestaret, *unam cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem* ab uno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & cathedra una monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat & dicit: Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.

Cant. 6. 9.

4 Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur & resistit, *qui cathedram Petri, super quam fundata*

fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? quando & Petrus Apostolus Paulus hoc idem doceat, & sacramentum unitatis ostendat, dicens: Vnum corpus & unus spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Eph. 4. 4. Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfidia, prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur; quomodo solis multi radij, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum, tenaci radice

dice fundatam: & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput est, & origo una, & una mater, fœcunditatis successibus copiosa.

5 Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa

sa Christi, incorrupta est & pudica: unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat, hæc filios regno quos generavit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noë fuit; & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. Monet Dominus, & dicit: Qui non est mecum, adversus me est, & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, adversus Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Dicit Dominus, Ego & pater

Mat. 12. 30

Io. 10. 30.

pater unum sumus. Et iterum de Patre & Filio & Spiritu sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt: Ioh. 5. 7. & quisquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, sacramentis cœlestibus cohærentẽ, scindi in Ecclesia posse, & voluntatum collidentium divortio separari? Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filij fidem, vitam non tenet & salutem.

6 Hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur; quando in Evangelio tunica Dom. nostri Iesu Christi non dividitur omnino nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis ipsam potius indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta atque individua tunica possidetur. Loquitur ac dicit Scriptura divina: De tu- Ioh. 19. 23. nica autem, quia de superiore parte

te non confutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad invicem: Non scindamus illam, sed sortiamur de ea cujus sit. Vnitatem illa portabat de superiore parte venientem, id est, de cœlo & à Patre venientem; quæ ab accipiente ac possidente scindi omnino non poterat, sed totam semel & solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit & dividit Ecclesiam Christi. Contra denique cum Solomone moriente, Regnum ejus & populus scinderetur, Achias Propheta Ieroboam Regi obvius factus in campo, in duodecim scissuras vestimentum suum discidit, dicens, Sume tibi decem scissuras, quia hæc dicit Dominus: Ecce scindo regnum de manu Solomonis, & dabo tibi decem sceptra, & duo sceptra erunt ei propter servum 3 Reg. 11 30.

meum David,& propter Hierusalem civitatem quam elegi, ut ponam nomen meum illic. Cum duodecim tribus Israel scinderentur, vestimentum suum Propheta Achaias discidit. At vero quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis & cohærens divisa à possidentibus non est: individua, copulata, connexa, ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentem; sacramento vestis & signo declaravit Ecclesiæ unitatem.

7 Quis ergo sic est sceleratus & perfidus? quis sic discordiæ furore vesanus? ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei? vestem Domini? Ecclesiam Christi? Monet ipse in Evangelio suo, & docet dicens, Et erit unus grex, & unus pastor. Et esse posse uno in loco aliquis existimat

Ioh. 10 16

existimat aut multos pastores, aut multos greges? Apostolus item Paulus hanc caudē nobis insinuans unitatem, obsecrat & hortatur, dicens: Obsecro, inquit, vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem compositi in eodem sensu, & in eadem sententia. Et iterum dicit, Sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis. Stare tu & vivere putas posse de Ecclesia recedentem? sedes sibi alias & diversa domicilia condentem? cum dictum sit ad Raab, in qua præformabatur Ecclesia: patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, & erit omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit. Item

1 Cor. 1. 10

Eph. 4. 3.

Iosu. 18. 19

sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege contineat quàm ut agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo una edatur. Loquitur Deus dicens: In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras. Exo. 12 3. &c. Caro Christi & sanctum Domini ejici foras non potest, nec alia ulla credentibus præter unam Ecclesiam domus est. Hanc domum, hoc unanimitatis hospitium designat, & denunciat Spiritus sanctus in Psalmis, dicens: Deus qui inhabitare facit unanimes in domo. Psal. 67. 7.

8 In domo Dei, in Ecclesia Christi unanimes habitant, concordes & simplices perseverant. Idcirco & in columba venit Spiritus sanctus. Simplex animal & lætum est, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum: hospitia humana diligere, ubius domus

consortium nosse, cum generant simul filios edere, cum commeant volatibus invicem cohærere, communi conversatione vitam filiis degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere. Hæc est, in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda: ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo & lenitas agnis & ovibus coequetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas? & canum rabies? & venenum letale serpentium? & cruenta sævitia bestiarum? Gratulandum est, cum tales de Ecclesia separantur, ne colũbas, ne oves Christi sæva sua & venenata cogitatione prædentur. Cohærere & conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fæcundi-

tate fieri litas, cum fontibus ficcitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet, bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur. Hos execratur & persequitur Iohannes Apostolus, dicens: Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: 1 Io. 2. 19. si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.

9 Hinc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum perversa mens non habet pacē, dū perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri vero hæc Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio; ut dum corda & mentes nostras veritatis discrimen examinat probatorum fides integra, manifesta luce clarescat.

Per

Per Apostolum prænonet Spiritus sanctus & dicit ; Oportet & hæreses esse, ut probati manifesti sint vobis. Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur : sic & ante judicij diem hic quoq; jam justorũ atq; injustorum animæ dividuntur, & à frumento paleæ separantur. Hi sunt qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui, nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt : quos designat in Psalmis Spiritus sanctus, sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena letalia linguis pestiferis evomentes : quorum sermo ut cancer serpit : quorum tactus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit.

1 Co.11.19

Psa.1.1.

2 Ti.2.17.

dit. Contra ejusmodi clamat Dominus, ab his refrænat & revocat errantem plebem suam, dicens, Nolite audire sermones pseudoprophetarum: quoniam visiones cordis eorum fruſtrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abjiciunt verbum Dei, Pax erit vobis; & omnibus ambulantibus in voluntatibus suis, omnis qui ambulat in errore cordis sui, non venient super eum mala, non locutus sum ad eos, & ipsi prophetaverunt. Si stetissent in substantia mea, & audissent verba mea, & si docuissent populum meum, convertissem eos à malis cogitationibus eorum. Hos eosdem denuo Dominus designat & denotat dicens, Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare.

Ier. 23 16. 17. 22.

Ier. 2. 13.

Quando

Quando aliud baptisma præter unum esse non possit, baptizare se posse opinantur. Vitæ fontem deserto, vitalis & salutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illis homines, sed potius sordidantur: nec purgantur delicta, sed immo cumulantur. Non Deo nativitas illa, sed diabolo filios generat. Per mendacium nati, veritatis promissa non capiunt. Dei perfidia procreati, fidei gratiam perdunt. Ad pacis præmium venire non possunt, qui pacem Domini discordiæ furore ruperunt. Eph 4.5.

10 Nec se quidam vana interpretatione decipiant, quod dixerit Dominus, Vbicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum. Corruptores Evangelij atque interpretes falsi extrema ponunt, & superiora prætereunt, patris memo- Mat.18.20

res

res, & partem ſubdolè comprimentes. Vt ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt, ita capituli unius ſententiam ſcinduut. Dominus enim cùm
Mat. 8. 19. diſcipulis ſuis unitatem ſuaderet & pacem; Dico, inquit, vobis, quoniam ſi duobus ex vobis convenerit in terra, de omni re, quamcunque petieritis, continget vobis à patre meo qui in cœlis eſt. Vbicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum: oſtendens non multitudini, ſed unanimitati deprecantium plurimum tribui. Si duobus, inquit, ex vobis convenerit in terra, unitatem prius poſuit; concordiam pacis ante præmiſit, ut conveniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem poteſt ei cum aliquo convenire, cui cum corpore ipſius Eccleſiæ, & cum univerſa fraternitate non convenit? Quomodo

poſſunt

possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ab ejus Evangelio separari? non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Et cum hæreses & schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua loquitur, & ad hos qui sunt in Ecclesia loquitur: ut si ipsi concordes fuerint, si, secundum quod mandavit & monuit, duo aut tres licet, collecti unanimiter oraverint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de Dei majestate quod postulant.

12 Vbicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego, inquit, cum eis sum; cum simplicibus scilicet, atque pacatis, cum Deum timentibus, & Dei præcepta seruantibus. Cum his, duobus

obus vel tribus licet, esse se dixit.
Mar.3:25. Quomodo & cum tribus pueris in camino ignis fuit; & quia in Deum simplices, atque inter se unanimes permanebant, flammis ambientibus medios spiritu roris
Act5.19.20 animavit. Quomodo Apostolis duobus in custodia clausis, quia simplices, quia unanimes erant, ipse adfuit; ipse resolutis carceris claustris, ut verbum, quod fideliter prædicabant, multitudini traderent, ad forum rursus imposuit. Quando ergo in præceptis suis ponit, & dicit, Vbi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum: non homines ab Ecclesia dividit, qui instruit & fecit Ecclesiam: sed exprobrans discordiam perfidis, & fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit magis esse se cum duobus aut tribus unanimiter orantibus, quam cum dissidentibus

tibus plurimis ; pluſque impetrari poſſe paucorum concordi prece, quam diſcordioſa oratione multorum. Ideo & cum orandi legem daret, addidit dicens ; Et cum ſteteritis ad orationem, remittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut pater veſter qui in cœlis eſt, remittat vobis peccata. Et ad ſacrificium cum diſſentione venientem revocat ab altari, & jubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem Deo munus offerre : quia nec ad Cain munera reſpexit Deus, neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum frrate pacem per zeli diſcordiam non habebat. Quam ſibi igitur pacem promittunt inimici fratrum ? quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli ſacerdotum ? an ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti fuerint, opinantur ; qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur ?

Mar. 11. 25

Mat. 5. 23. 24.

Gen. 4. 5.

12 Tales etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & gravis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est: ad regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit: concordes atque unanimes esse præcipit: dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atque inviolata servari mandavit: exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc & contestatur Paulus Apostolus dicens, Et si habuero fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum distribuero omnia mea, & si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio. Charitas

1 Co. 13. 2

magnanima

magnanima est, charitas benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum. Omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas nunquam excidit. Nunquam, inquit, excidit charitas; hæc enim semper in regno erit: hæc in æternum fraternitatis sibi cohærentis unitate durabit: ad regnum cœlorum non potest pervenire discordia. Ad præmia Christi qui dixit, Hoc est mandatum meum ut diligatis invicem, quemadmodum dilexi vos, pertinere non poterit, qui dilectionem Christi perfida dissentione violavit. Qui charitatem non habet, Deum non habet. Iohannis beati Apostoli vox est; Deus, inquit, dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in illo manet. Cum Deo manere non possunt, qui

Ioh 5 12.

Ioh. 14. 16.

quiesse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt, ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti bestijs animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.

13 Sic se Christum esse profitetur, quomodo & Christum diabolus sæpe mentitur, ipso Domino præmonente & dicente, Mat. 13. 6 Multi venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & multos fallent. Sicut ille Christus non est, quamvis fallat in nomine illius: ita nec Christianus videri potest, qui non permanet in Evangelij ejus & fidei veritate. Nam & prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis utique & admirabilis res est, non tamen regnū cœleste consequitur,

sequitur, quisquis in his omnibus invenitur, nisi recti & justi itineris observatione gradiatur. Denunciat Dominus & dicit, Multi mihi dicent in illo die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? & in tuo nomine dæmonia exclusimus? & in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis, Nunquam vos cognovi, recedite à me qui operamini iniquitatem. Iustitia opus est, ut promereri quis possit Deum judicem. Præceptis ejus & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem. Dominus in Evangelio cum spei & fidei nostræ viam cõpendio breviante dirigeret, Dominus Deus tuus, inquit, Deus unus est, &, Diliges Dom. Deum tuum de toto corde, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc est primum mandatum: & secundum

Mat. 7.22.

Mar. 12. 30.31.

simile huic, Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Vnitatem simul & dilectionem magisterio suo docuit: prophetas omnes & legem præceptis duobus inclusit. Quam vero unitatem servat, quam dilectionem custodit aut cogitat, qui discordiæ furore vesanus Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, charitatem dissipat, sacramentum prophanat?

14 Malum hoc, dilectissimi fratres, jam pridem cœperat, sed nunc crevit ejusdem mali infesta clades, & exurgere ac pullulare plus cœpit hæreticæ perversitatis & schismatum venenata pernicies: quia sic in occasu mundi fieri oportebat, prænunciante per Apostolum nobis & prænonente Spiritu sancto: In novissimis, inquit, diebus aderunt tempora molesta, & 2 Tim. 3. 1. 2. &c. ad 10. ver.

& erunt homines sibi placentes, superbi, tumidi, cupidi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impij, sine affectu, sine fœdere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, stupore inflati, voluptates magis quam Deum diligentes, habentes deformationem religionis, virtutem autem ejus abnegantes. Ex ijs sunt qui repunt in domos, & prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desiderijs: semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Et quomodo Iannes & Mambres restiterunt Moysi; sic & hi resistunt veritati, homines corrupti sensu, reprobi circa fidem, sed non proficient plurimum. Imperitia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Adimplentur quæcunque prædicta sunt; & ap-

propinquante jam sæculi fine, hominum pariter ac temporum probatione venerunt. Magis ac magis adversario sæviente error fallit, extollit stupor, livor incendit, cupiditas excæcat, depravat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat.

15 Non tamen nos moveat aut turbet multorum nimia & abrupta perfidia, sed potius fidem nostram prænuntiante rei veritate corroboret. Vt quidam tales esse cœperunt, quia hæc ante prædicta sunt: ita cæteri fratres ab ejusmodi caveant, quia & hæc ante prædicta sunt; instruente Domino & dicente, Vos autem cavete, ecce prædixi vobis omnia. Vitate, quæso vos, ejusmodi homines, & à latere atque auribus vestris pernicioſa colloquia velut contagium mortis arcete: ficut scriptum est, Sepi aures tuas spinis,

Mar. 13. 23

Eccl. 28. 28.

spinis, & noli audire linguam nequam. Et iterum, Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ. Docet Dominus & admonet à talibus recedendum. Cæci sunt, inquit, duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens, simul in foveam cadent. Adversandus est talis atque fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Perversus est ejusmodi, & peccat, & est à semetipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur, qui adversus sacerdotes Christi facit? qui se à cleri ejus & plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat; hostis altaris, adversus sacrificiũ Christi rebellis, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, cõtẽptis episcopis & Dei sacerdotibus derelictis constituere audet aliud altare, precẽ aiteram

1 Co. 15. 13

Mat. 15. 14.

Tit. 3. 11.

illicitis vocibus facere, dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia prophanare: nec dignatur scire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam divina animadversione punitur.

16 Sic Chore & Dathan, & Abiron, qui sibi contra Moysen & Aaron sacerdotem sacrificandi licentiam vindicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus pependerunt. Terra compagibus ruptis in profundum sinum patuit: stantes atque viventes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantum eos qui authores fuerant, Dei indignantis ira percussit: sed & cæteros ducentos quinquaginta participes ejusdem furoris & comites, qui coagulati cum iisdem simul ad audaciam fuerant, exiens à Domino ignis, properata ultione consumpsit; admonens scilicet & ostendens

ostendens contra Deum fieri, quicquid improbi fuerint ad destruendam ordinationem Dei humana voluntate conati. Sic & Ozias Rex, cùm thuribulum ferens, & contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote, obtemperare nollet & credere; divina indignatione confusus, & lepræ varietate in fronte maculatus est; ea parte corporis notatus offenso Domino, ubi signantur, qui Dominum promerentur. Et filij Aaron, qui imposuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus; in conspectu statim Domini vindicantis extincti sunt. 2 Par. 26. 18. &c. 4 Re. 15. 5. Le. 10. 1. 2

17 Quos imitantur scilicet atque sectantur, qui Dei traditione contempta alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanæ institutionis inducunt; quos increpa:

pat Dominus & objurgat in Evangelio suo, dicens, Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. Pejus hoc crimen est, quàm quod admisisse lapsi videntur; qui tamen in pœnitentia criminis constituti, Deum plenis satisfactionibus deprecantur. Hic Ecclesia quæritur & rogatur; illic Ecclesiæ repugnatur. Hic potest necessitas fuisse: illic voluntas tenetur in scelere. Hic lapsus est, sibi tantum nocuit: illic qui hæresim vel schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Hic animæ unius est damnum: illic periculum plurimorum. Certe peccasse se hic & intelligit, & lamentatur, & plangit: ille tumens in peccato suo, & in ipsis sibi delictis placens, à matre filios segregat, oves à pastore sollicitat, Dei sacramenta disturbat. Et cum lapsus semel peccaverit, iste quotidie

Mat. 7. 9.

tidie peccat. Postremo lapsus, martyriũ postmodũ consecutus, potest regni promissa percipere: ille si extra Ecclesiã fuerit occisus, ad Ecclesiæ nõ potest præmia pervenire.

18 Nec quisquam miretur, dilectissimi fratres, etiã de confessoribus quosdam ad ista procedere, inde quoque aliquos tam nefanda quam gravia peccare. Neque enim confessio immunem facit ab insidijs diaboli, aut contra tentationes & pericula, & incursus atque impetus sæculares adhuc in sæculo positum perpetua securitate defendit: cæterum nunquam in confessoribus fraudes, & stupra, & adulteria postmodum videremus, quæ nunc in quibusdam videntes ingemiscimus & dolemus. Quisquis ille confessor est, Salomone maior, aut melior, aut Deo charior nõ est. Qui tamẽ quãdiu in viis Dom. ambulavit, tandiu gratiam

gratiam, quam de Domino fuerat consecutus, obtinuit : postquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini, sicut scriptum est, Et excitavit Dominus Satanam ipsi Salomoni. Et ideo scriptum est, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quod utique Dominus non miretur, auferri posse coronam justitiæ ; nisi quia recedente justitia, recedat necesse est & corona. Confessio in exordium gloriæ est, non meritum jam coronæ ; nec perficit laudem, sed initiat dignitatem ; cumque scriptum sit, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit : quicquid ante finem fuerit, gradus est quo ad fastigium salutis ascenditur, non terminus quo jam culminis summa teneatur.

3 Re. 11. 14
Apo. 3. 11.
Mat. 10. 22

19 Confessio est, sed post confessionem periculum majus est : quia plus adversarius provocatus est.

est. Confessor est: hoc magis state debet cum Domini Evangelio, per Evangelium gloriam consecutus à Domino. Ait enim Dominus, Cui multum datur, multum quæritur ab eo, & cui plus dignitatis adscribitur, plus de illo exigitur servitutis. Nemo per confessoris exemplum pereat: nemo injustitiam, nemo insolentiam, nemo perfidiam de confessoris moribus discat. Confessor est, sit humilis & quietus, sit in actu suo cum disciplina modestus, ut qui Christi confessor dicitur, Christum quem confitetur imitetur. Nam cum dicat ille, Qui se extollit, humiliabitur, & qui humiliat se, exaltabitur; & ipse à patre exaltatus sit, quia se in terris sermo, & virtus, & sapientia Dei patris humiliavit; quomodo potest extollentiam diligere, qui & nobis humilitatem sua lege mandavit, & ipse

Lu 8.18. & 19.26.

Lu. 18.14.

ipſe à patre ampliſſimum nomen præmio humilitatis accepit? Confeſſor eſt Chriſti: ſed ſi non poſtea blaſphemetur per ipſum maieſtas & dignitas Chriſti. Lingua Chriſtum confeſſa, non ſit maledica, non turbulenta, non convitiis & litibus perſtrepens audiatur, non contra fratres & Dei ſacerdotes, poſt verba laudis, ſerpentis venena iaculetur. Cæterum ſi culpabilis & deteſtabilis poſtmodum fuerit, ſi confeſſionem ſuam mala converſatione prodegerit, ſi vitam ſuam turpi fœditate maculetur, ſi Eccleſiam denique, ubi confeſſor factus eſt, derelinquens, & unitatis concordiam ſcindens, fidem primam perfidia poſteriore mutaverit, blandiri ſibi per confeſſionem non poteſt, quaſi ſit electus ad gloriæ præmium, quando ex hoc ipſo magis creverint merita pœnarum.

20

20 Nam & Iudam inter Apostolos Dominus elegit, & tamen Dominum Iudas postmodum prodidit. Non tamen idcirco Apostolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor Iudas ab eorum societate defecit: sic & hic non statim confessorum sanctitas & dignitas comminuta est, quia quorundam fides fracta est. Beatus Apostolus in Epistola sua loquitur dicens; Quid enim si exciderunt à fide quidam illorum, nunquid inquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Stat confessorũ pars maior & melior in fidei suæ robore, et in legis ac disciplinæ Dominicæ veritate. Nec ab Ecclesiæ pace discedunt, qui se in Ecclesia gratiã consecutos de Dei dignatione meminerunt: atqui hoc ipso ampliorem consequuntur fidei suæ laudẽ, quod Rom. 3. 3.

quod ab eorum perfidia segregari, qui invicti confessionis consortio iuerunt, à contagio criminis recesserunt, vero illuminati Evangelij lumine, pura & candida Domini luce radiati, tam sunt in conservanda Christi pace laudabiles, quàm fuerunt in diaboli congressione victores.

21 Opto equidem, dilectissimi fratres, & consulo pariter & iuadeo; ut, si fieri potest, nemo de fratribus pereat, & consentientis populi corpus unum gremio suo gaudens mater includat. Si tamen quosdam schismatum duces, & dissentionis authores, in coeca & obstinata dementia permanentes, non potuerit ad salutis viam consilium salubre revocare: cæteri tamen vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis astutiæ calliditate decepti, à fallaciæ vos laqueis soluite, vagantes

gressus

gressus ab erroribus liberate, iter rectum viæ cœlestis agnoscite. Contestantis Apostoli vox est, Præcipimus vobis, inquit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Et iterum dicit, Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propter enim venit ira Dei super filios contumaciæ. Nolite ergo esse participes eorum. Recedendum est à delinquentibus, vel immo fugiendum, ne dum quis male ambulantibus jungitur, & per itineria errorls & criminis graditur, à via veri itineris exerrans, pari crimine & ipse teneatur. Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia ejus, et fides una, et plebs in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus u

2 Thes. 3. 6

Eph. 5. 6.

num

num discidio compaginis separari, divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quicquid à matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit, substantiam salutis amittit.

22 Monet nos Spiritus sanctus et dicit: Quis est homo, qui vult vitam, et amat videre dies optimos? Contine linguam tuam à malo, et labia tua ne loquantur insidiosè. Declina à malo et fac bonum, quære pacem, et sequere eam. Pacem quærere debet et sequi filius pacis; à offensionis malo continere linguam suam debet, qui novit et diligit vinculum charitatis. Inter sua divina mandata et magisteria salutaria, passioni iam proximus Dominus addidit dicens, Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis. Hanc nobis hæreditatem Christus dedit: dona omnia suæ pollicitationis et

Ioh. 14. 27

præmia

præmia in pacis conservatione promisit. Si hæredes Christi sumus, in Christi pace maneamus. Si filij Dei sumus, pacifici esse debemus. Beati, inquit, pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur. Pacificos esse opottet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohærentes. Hæc unanimitas sub Apostolis olim fuit; sic novus credentium populus Domini mandata custodiens charitatem suam tenuit. Probat scriptura divina quæ dicit: Turba autem eorum qui crediderant, anima & mente una agebant. Act. 4 31.
Et iterum, Et erant perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus, & Maria quæ fuit mater Iesu, & fratribus ejus. Et ideo efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant quodcunque de Domini mi- Act. 1. 14.

sericordia postulabant.

23 In nobis vero sic unanimitas diminuta est, ut & largitas operationis infracta est. Domos tunc & fundos venundabant, & thesauros sibi in cœlo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia Apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus, & cum vendere jubeat Dominus, emimus potius & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit; & idcirco Dominus tempora nostra respiciens, in Evangelio suo dicit, Filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem in terra? Videmus fieri quod ille prædixit. In Dei timore, in lege justitiæ, in dilectione, in opere fides nulla est. Nemo futurorum metum cogitat, Diem Domini, & iram Dei, & incredulis ventura supplicia, & statuta perfidis æterna

Luc. 18 8.

na tormenta nemo considerat. Quod meueret conscientia nostra, si crederet; quia non credit omnino, nec metuit: si autem crederet, & caueret; si caueret, euaderet.

24 Excitemus nos, quantum possumus, dilectissimi fratres, & somno inertiæ veteris abrupto ad obseruanda & gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales, quales esse nos ipse præcepit, dicens: Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes: & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando veniat à nuptijs, ut cum venerit & pulsauerit, aperiant ei. Beati serui illi, quos adueniens Dominus inuenerit vigilantes. Accinctos nos esse oportet, ne cum expeditionis dies venerit, impeditos nos & implicitos apprehendat. Luceat in nobis operibus nostrum lumen & Luc. 12. 35

tulgeat, ut ipsum nos ad lucem claritatis æternæ de hac sæculi nocte perducat. Expectemus solliciti semper & cauti adventum Domini repentinum, ut quando ille pulsaverit, evigilet fides nostra, vigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata seruentur, si hæc monita & præcepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non possumus: servi vigiles Christo dominante regnabimus.

ANNOTA-

ANNOTATIONES IN LOCA QVÆDAM dubia, & controversa in CYPRIANI libello *de Vnitate Ecclesiæ.*

IN Hoc libello Palmarius occurrit locus ad Primatũ Romani pontificis tuendũ, uti lectoribus persuasum irent adulatores, tam nequissimi quàm novissimi; sed luculenter à nostris Theologis, viris longè doctissimis vindicatur; adeoque abunde probatur, Cyprianum nihil minus spectasse, quàm unius Oecumenici pontificis per universum orbem dominatum. Gloriatur Pamelius annot. 27. ad Epist. 55. unicum locum in hoc libro ita confirmare, Pontificis

Romani Primatum, ut non possit magis. *Et sane locus insignis est (nempe 5. infra) verbaque aureis incidenda literis ad perpetuam rei memoriam, si possent ex probatissimis mss. probari: quibus destitui Pamelium, jam pridem ostenderunt V. Cl. Whitakerus, Rainoldus, Bilsonus, & Iamesius præcipuè, qui veterum codicum fidem curatè secutus, palam omnibus fecit, Cypriani sædissimè hic depravari, & lacinijs additijs miserè detorqueri, ideoque verba illa, quamvis loco movere noluimus, diverso tamen charactere notanter imprimi curavimus, quæ in Mss. deesse comperta sunt. Neque est cur dubitet aliquis de præstantia nostrorum codicum, cum et plures habeamus, atque nempe antiquissimos in varijs bibliothecis, Oxonia, Cantabrigia, Lambethæ adservatos, tum eam esse fidem codicum*

Anglica-

Anglicanorum prædicet doctissimus Costerius in præfatione ad Ambrosij opera, ut inde facile divinare liceat, quam olim fuerit Anglia literis exculta, et eruditorum, ac insignium virorum ferax; sed sententias & verba Cypriani sigillatim expendamus.

1 Dum ad unitatis originem non reditur, nec caput quæritur] Prorsus de Pontifice Romano intelligendum venit, *inquit Pamelius, & prius etiam Roffensis asseruit, sed neuter demonstravit. Enimvero quem tandem sperant adeo dementem fore, ut quæ verba sic extant* (ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur) *ijs significari credat, Petrum omnium Apostolorum originem & caput esse? atqui Cyprianus nihil voluit aliud, quam ex ipsa Ecclesiæ origine ac capite (ut in proverbio,* Sect. 3.

à capite rem arcessere) *demonstrari necessariam esse unitatem Ecclesiæ, & propterea etiam cathedræ, contra schismaticos. Et sanè cur,* reditur, *dixisset? decet enim causam schismatum, id est, non quare manent nonnulli in schismate, sed quare ipsa schismata fiunt. At si ea mens esset, quam papistæ volunt, ne fierent schismata, non redeundum esset ad initium & caput, sed initio & capiti constanter hærendũ: dixit autem,* redeundum, *quia etiam ipsi qui sunt in Ecclesia, procul distant ab exordijs Ecclesiæ: itaque ad exordia redeundum dixit, id est, posterioribus sæculis quasi reflectenda mentis acies, ut quid ab initio factum sit, consideretur. Alibi Cyprianus ait* (si ad divinæ traditionis caput, & originem revertamur, cessat error humanus) *Epist. 74. ad Pompeium,* § 13. *non pontificem Romanum intelligit,*

intelligit, sed S. scripturam, ut S. Augustinus explicat, libr. 5. cap. 26. de unico baptismo contra Donatistas. Quod autem nos admonet Cyprianus, ut ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est & sine dubitatione faciendum. *Vide infra annot:* 13.

2 Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam. §. 3.

Quamvis soli Petro Christus est locutus, non tamen ad solum Petrum spectat id quod dicitur; etenim quis neget Mosen, cum dixit, credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam: *quis inquam neget de solo Abrahamo dictum? & tamen idipsum Paulus omnibus fidelibus applicat, quid, quod ipsi Papistæ qui solum Petrum*

Petrum tanto beatu ingenij nomi-
nãt, einſq; nomen, & patrem, & ag-
nomen, & pronomina, tibi, tu, te,
ut evincant unam certamq; perſo-
nam, tamen ſtatim ab una illa per-
ſona tranſiliunt ad ducentas tri-
ginta quatuor perſonas Romano-
rum pontificum, ut eis commune
evincant, hoc ipſum, quod iam la-
borant eſſe uni, uni, uni, inquam
Petro tam proprium, quam eius no-
men, eiuſque patrem? nempe hoc
illud eſt, nihil aliud quam mundo
illudunt. Perro Cyprianus epi. 27
hunc ipſum Matthæi locum ſic
intellexit, ut ad plures, quam ad
Petrum pertineret. Eum enim om-
nibus Epiſcopis accommodat, teſte
in eam epiſtolam Pamelio, qui
cum inde ſe videret premi, hoc
quaſi effugium quæſivit, eundem
Cyprianum alibi, maxime epiſt. 55.
hunc locum applicare ſoli Petro.
Quod ſi ſic intelligat, ut dicat Cy-
prianum,

prianum, alias in citando hoc loco solium Petri meminisse; nihil est, quod non facile concedam; sed si hoc velit potius, Cyprianum asserere, ea Christi verba soli Petro convenire, & præter eum nulli, tum verò Pamelium egregie falsum dixerit. Certe enim Cypriani ea perpetua mens est, ut ex eo loco probet, quanam sit Episcopatus, quem in Ecclesia unicum esse dicit, natura: similiter Augustinus epist. 165. Petro totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferorum non prævalebunt adversus eam. Latius autem tractatu centesimo vigesimo quarto in Ioannem: hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa: cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam: quod enim ad ipsum

ipsum propriè attinet, naturâ unus homo erat, gratiâ unus Christianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus; sed quando ei dictum est, tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, universam significabat Ecclesiam. *Et paulo post*, Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro. *Vnde sequitur, quum non Petro, ut Petro, sed toti Ecclesiæ in Petro dictum id sit, non esse Petrum solum, petram Ecclesiæ.*

Origines item tractatu primo in Matthæum: Petra est quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spirituali consequente petra: et super talem petrã constituitur omnis Ecclesiastica doctrina,

na, et secundum hanc vitæ institutio ; in unoquoque enim perfecto, habente congregationem eorum, quæ complent beatitudinem, verborum, factorum, et sensuum, est quæ à Deo ædificatur Ecclesia; quod si super unum illum Petrum tantum existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es, de Ioanne filio tonitrui et Apostolorũ unoquoq; ?quin alioqui num audebimus dicere, quod adversus Petrum unum non prævalituræ sint portæ inferorum, adversus autem cæteros Apostolos ac perfectos, prævalituræ sint ? &c. *Pergit Origines, argumentando.* An vero soli Petro dantur à Christo claves regni cœlorum, nec alius beatorum quisquam eas acceptus est ? quod si dictum hoc, tibi dabo claves regni cœlorum, cæteris quoque commune est, cur non simul omnia, et quæ prius dicta

dicta sunt, et quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia ? *Sed non libet plura testimonia adducere, fusè enim à nostris Theologis hæc pertractantur.*

3 Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas.

Verba hæc recens adicta à Gravio, Manutio, Morelio, genuina esse patet, ex Mss. omnibus, & vet. exc. uti Pamelius ait. At cum recens adicta esse fateatur, non temere sunt in textum admittenda; quod ait in omnibus exemplis reperiri, plane falsum est, non enim habet Erasmus, nec alij antiquiores, quos videre licuit: non editio Spirensis ann. 1477 in Collegio Magdalenensi. Morelius etiam in textum non reposuit, in observationibus tantum contentus monuisse

isse, ea in duobus libris reperiri. Remundus item Rufus, contra Melinæum ann. 1533. licet omnia conquirit ad primatum suendum, hæc tamen verba non affert, cum Cyprianum citat; ut neque illa sequentia (unam cathedram constituit) *Quamvis autem Iamesius noster fateatur quosdam codices sic legere,* (super unum ædificavit Ecclesiam) *non omnes tamen ita habent, at nulli plane prorsum* (illum) *in quo vis tota restat: hoc enim deest in omnibus Mss. & editionibus antiquis; etiam in Gratiano caus. 24 q. 1. cap. loquitur.*

4 Vnam cathedram constituit.) *Mss. non agnoscant hæc verba, neque Erasmus, Marelius, vel quævis editio ante Romanam, quæ primò eadem textui inseruit. Desunt etiam apud Gratianum loco citato; ut meritò inter glossemata*

mata textui malâ fide assuta censeri debeant. Nobisque licebit cum Augustino contra Gaudentium Donatistam replicare: dum Cypriano teste innitũtur, Cypriano teste mentiuntur: lib.2.c.2.

5 Primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia, & cathedra una monstretur: & pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.) *Cum de primatu Romani pontificis agitur, de summa rei Christianæ agitur; id enim quæritur, debeátne Ecclesia diutius consistere, an vero dissolvi & concidere, ut Bellarminus ait præfatione ad libros de Rom. pont. Nempe de primatu contendunt tanquam pro aris & focis; haud mirandum igitur, si ab Ecclesiæ Romanæ fautoribus hæc & eiusmodi additamenta in S. pa-*

trum

trum scriptis interpolata mordicus retineri comperiamus. Desiderantur enim hæc verba in omnibus Cypr. Mss. editisque libris, ante Romanã editionem Manutij 1563. Etiam apud Gratianum; at væ, iterum væ, ut cum videnti exclamem, nebulonibus, qui tales S. patrum integritati venerandæ non solum insidias struunt, sed & ipsorum opera, impudenter & nequiter, subdolo religionis zelo, nullius frontis homines devirginant, sucumque istum pietatis nomen ementitum, inter pias fraudes numerant. Non est autem quod Cambronensem codicem iactent, adversus quem, ex ipsorum relatu, iustissimam exceptionem habemus. Et quis tandem est Cambronensis codex, qui adversus omnium gentium Mss. exemplaria, editaque prævaleat? ad libros Mss. quoque purgatio pertinet, *inquit Possevi-*

nus lib. 1. bibliothecæ selectæ: & quid sibi velit purgatio Iesuitica, ignorare nos haud sinunt Indices, expurgatorij. Si quis plura cupiat, Iamesium adeat de corruptione patrum parte 2. qui prolixè vindicavit hunc locum à Pamelij, Possevini, & Gretzeri calumnijs & corruptelis. Quibus adiungere licet, quæ scribit Ben. Turretinus præf. in Hispanici Indicis, Cardinalis de Sãdoval renovatã editionẽ, a. 1619.

§. 4. 6 Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit.) In Ecclesia se esse confidit? Deest hæc sententia in omnibus MSS. & impressis exemplaribus, etiam in Romana editione Manutij, nempe Pamelio hanc acceptam referunt pontificij, qui longi melius Cypriano, suoq; nomini consuluisset, si hæc in textum inserere veritus esset, nemini enim licet contextum cuiusquam

in squam patris immutare, præsertim in re controversa, unius tantum exemplaris ope freto: quod vero Gratianum dist. 93. seventem habeat, facilè est reponere, Gratianum alibi, cans. 24. sententiam hanc non habere, quamvis prolixè adducat hunc ipsum Cypriani locum; sed ridendus reverendissimus noster Bilsonus, quid porro respondet, de Gratiani illa dist. 93. quam irrepsisse nuper in ipsum decretum, haud levibus argumentis probat; libro de vera subiectione, parte 1. pag. 66. Quòd autem Centuriatores Cyprianum Romanæ sedi nimiũ tribuisse asserant, ideoq; non nemo exinde probatum iret, genuinas hæc esse Cypriani verba, in promptu est responsio; quamvis alicubi plurimum deferat Romanæ sedi, deq; Petri dignitate magnificè sentiat, uti Erasmus ait, alibi tamen Epist. 74. Stephanum pon-

tificem Romanum ita acriter pungit, (idemque facit Firmilianus Epist. 75.) ut Manutius istas planè omiserit epistolas, et Pamelius nunquam editas fuisse & consultius existimet: Papam enim audaciæ, insolentiæ, superbiæ, imperitiæ, *apertè arguit; ut cum Augustino contra Donatistas nobis liceat profiteri*; Non me tenet Cypriani authoritas; non solùm non adjuvari authoritate Cypriani, sed per ipsam maximè convinci, atque subverti ait lib. 1. c. 1. *æqualitatem & unitatem spectavit S. Cypr. non dominatum, dum ait*; Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. *Et verò epistola 71. ad Quintum, egregiè ostendit Cypr. quâ ab omni, dominatu alienus fuit S. Petrus. (Eamque ideo forsan omisit editio Romana)* non est autem de consuetudine

tudine præscribendum, sed ratione vincendum; nam nec Petrus, quem primus Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum habere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potius oportere; nec despexit Paulum quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit. *At quis hic ferat Bellarminum lib. 1. de* part. Rom. cap. 25. non dixit, se primatum tenere, id est, noluit dicere, ergo habuit. *Nam cur non similiter, non despexit Paulum, id est, noluit despicere? ergo potuit despicere? quod qui dicat, quid supereſt, nisi ut item dicat, consilium veritatis admisit, id est, voluit admittere, ergo potuit non admittere? Verum ut lu-*

cidiùs Cypriani mens conſtet, eiuſdem verba genuina, additis ijs iſtiis modo recitatis è diametro oppoſita hic producã, quibus liquido patebit, ſanctiſſimum hunc martyrem œcumenico pontificatui plurimum refragari. Primò enim ait,

7 Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuit.] *Diſertè hic poſt reſurrectionem dicit, reliquis eſſe datam parem poteſtatem cum Petro: nempe quum eis dictum,* ſicut miſit me pater, & ego mitto vos; *ac primatum Petri arceſſit ab eis verbis,* Tu es Petrus. *Primatus igitur in eo tantum conſiſtit, quòd Petro ſuum munus mandatum eſt ante reſurrectionem, reliquis vero poſt; at æqualitas in eo, quòd poſt reſurrectionem reliquis Apoſtolis idem honor, eadem poteſtas conceſſa ſit,*

ſit, quæ Petrus habuerat ante reſurrectionem.

8 Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus pari conſortio præditi, & honoris & poteſtatis.] *Animadvertenda hic Cypriani diligens curioſitas; multum dixit cum aſſeruit, idem fuiſſe cæteros Apoſtolos, quod fuit Petrus, & hæc verba diſertißmè æqualitatem ſignificabant. Sed non contentus eo, addit primò, conſortium: & quia poteſt etiam aliquando conſortij quædam ſpecies eſſe inter impares, expreßit* par conſortium; *ut ne reliquos intelligas ſubſiſtere in gradu aliquo inferiori: denique qua in re illam conſtitueret parilitatem, teſtatum voluit, quum honorem nominavit & poteſtatem: quibus quid amplius quiſquam quærat in Petro? Locus certe eſt tum momento magnus, tum perſpicuitate*

spicuitate disertissimus : itaque non est quòd quisquam querat, utrum neglectus fuerit ab adversarijs ; nullum enim artificium est non adhibitum, si non elevando, certe obscurando. Primò Pamelius contextum vellicat ; Non est, *inquit*, quòd pro se istud torqueant adversarij contra Petri primatum, præsertim si iuxta Manutiũ legatur, ad quem quàm proxime accedit Cambronensis codex. *Ea autẽ lectio, cum alijs modis varia est, tum ita habet* : Hoc erant et cæteri quod Petrus, sed primatus Petro datur, ut una Ecclesia, et cathedra una monstretur. *Enimverò facilis & ad compendium expedita solutio ; quid enim non commodè diluas, si radas ? tum vero nos sic infinitis è locis nos expedierimus, sed vafritiem vide, primò unum, aut alterum codicem habet, quem sequatur, unum Manutij,*

nutij, alterum Cambronensem, præterea nullum; et tamen solent criticorum peritissimi, præferre plures codices paucioribus, si nulla cogit ratio, aut necessitas. At iste vellet pauciores pluribus opponi, nulla significatâ ratione, sed duntaxat ex mero causæ præiudicio: at nos quid isti homines sibi permittunt haud æquum est pati. Deinde non est, *inquit*, quod pro se torqueant, præsertim si ita legatur. *Dicerès habere aliquid magni momenti, quod diceret in explicationem eius loci, cui postea subserviret varia illa lectio. Sed id, quantivis fuerit momenti, sivit vanescere in auras, nullo relicto vestigio.*

9 Vnitatis eiusdem originem ab uno incipientem — *et post*, Exordium ab unitate proficiscitur.) *Originem et exordium distinguo,*

ſtinguo, vel ratione temporis, quomodo dicere poſſumus, Conſules Romæ originem habuiſſe à Bruto, Imperatores à Iulio, Reges à Romulo; quia in ijs primis ea poteſtas fuit inſtituta; non quod eam illi reliquis ſic communicarint, ut ab ijs ſucceſſores penderent. Vel ratione authoritatis, quomodo in Repub. maieſtas eſt origo magiſtratuum, quia omnes ab ea authoritatem mutuantur. Illo ſenſu Cyprianus exordium nominat, hoc non item, ergo ſenſus eſt Cypriani, exordium honoris & poteſtatis Prælatorum Eccleſiæ habuiſſe aliquod initium, & id initium ab uno, non vero à pluribus, quo facto ſignificata fuit unitas Eccleſiæ. At Petrum dici originem Apoſtolatus, quaſi ab eo penderet caterorum Apoſtolorum authoritas, ſicut Rex magiſtratuum, qui ab eo inſtituuntur, & deſtituuntur, eiuſque authoritate nituntur,

nituntur, quia asserat? nam nec Petrum cæteros instituit, sed Christus, nec ullum destituit, aut destituere potuit; nec eius nomine reliqui fungebantur officio, sed Christi, ut Paulus testatur, 2 Cor. 5. Nomine Christi legatione fungimur. *Nec Petri authoritate nitebantur, sed Christi; nunquam dictum, qui vos spernit, Petrum spernit; sed de se Christus:* Qui vos spernit, me spernit.

10 Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.) *Similia occurrunt loca, epist. 53.* Quam sic à Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item Episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus. *Et Epist. 67.* Etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, & oves universas, quas Christus

Christus sanguine suo & passione quæsivit, colligere & fovere debemus. *Similiter olim Tertullianus (quem magistrum appellare solitus erat Cyprianus) de præscrip. adverſ. hæreticos c.* 20. Tot & tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes, sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem. *Accedat etiam Alexander Episcopus Alexandriæ, in ea ad omnes Episcopos, quæ extat apud Socratem, lib.* 1. *cap.* 3. In sacris literis unum est corpus Ecclesiæ catholicæ nobis traditum. *Sensus est horum omnium locorum, æquo omnes iure Episcopos esse factos, eumque gradum, qui in ecclesia Episcopatus dicitur, unum esse, & in omnibus eundem; id est, unius ubique naturæ, dignitatis, & potestatis: Atque id est, quod expressum Cyprianus voluit, cum dixit,*

Episcopatus

Episcoparus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur; *nempe quia singuli Episcopi, quasi individua quædam sunt illius speciei, quæ Episcopus appellatur, ac proinde oporteat eos singulos, etsi partes sunt duntaxat, totam participare Episcopatus naturam, quemadmodum homines singuli, cum sint individua, totam tamen in se naturam habent eius speciei, quæ dicitur homo, sic singulæ Ecclesiæ totam ipsam Ecclesiam per partes possident. Hinc est illud etiam quod dicitur, episcopatum unum diffusum esse concordi Episcoporum numerositate; et diserтius*, multos pastores unum gregem pascere, *hoc est, universas oves, et ut loquitur Alexander*, Vnum corpus Ecclesiæ catholicæ. *quare si omnes æquo iure, hoc est, in solidum Episcopi sunt totius corporis Ecclesiæ, ergo necesse est nullum*

nullum esse œcumenicum pontificem, qui habeat in alios Episcopos imperium. Sic olim Romæ Senatores erant plurimi, sed singuli in solidum Reipub. Romanæ Senatores, aut si mauis, Proconsules, eiusdem Reipub. Proconsules: sed in varijs sibi attributis provincijs, alij in alios iur nullũ habentes, sed omnes eiusdem potestatis Collegæ. Sic hodie septem Electores imperij in solidum singuli sunt Electores, nec unus, quatenus Elector, alio Maior.

11 In solidum.) *Cyprianus dicit non tantum unum esse Episcopatum, cuius à singulis pars teneatur, sed etiam eam partem teneri in solidum; quod significat, non tantum unum aliquem non esse Episcopum omnium Ecclesiarum, sed etiam reliquos omnes pari cum eo iure Episcopos esse catholicæ Ecclesiæ;*

cleſiæ ; itaque primatus intelligi nullus poteſt, non temporis, non ordinis, quem tamen utramque admittimus ; ſed is non eſt niſi accidens ad Epiſcopatum, ac proinde non poteſt contineri ſub ea participatione ſolidaria ; multo minus poteſtatiu, quia contradiceret eidem participationi. Alibi Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium apertè ait ; Singulis paſtoribus portio gregis eſt adſcripta, quam regat unuſquiſque ac gubernet, rationem ſui actus domino redditurus. *Vnde geminum argumentum : primum, ſi ſingulis paſtoribus portio gregis eſt adſcripta, ergo nulli totus grex. Satis ſit ergo Romano Epiſcopo ſua portio, nec in alienas uſurpet imperium, aut ne ſe paſtorem dicito, ſed lupum rapacem. Hoc autem conforme eſt authoritati Petri,* Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Chriſti : *alterum, ſi ſinguli paſtores*

ſic

sic regunt gregem, ut sui actus rationem domino sint reddituri; ergo nullus est, qui ab alijs eam rationem exigendi ius habeat, ac proinde nullus est Oecumenicus. Similiter Hieronymus in epistola ad Euagrium: Vbicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubij, sive Constantinopoli, sive Rhegij, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotij: potentia divitiarum et paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt. *In quibus verbis hæc duo notanda, primum, omnes Episcopos ejusdem esse non tantùm Sacerdotij, sed etiam meriti; quo verbo id omne sine dubio significatur, quod dignitatis vocabulo potest comprehendi; ut tantundem tribuendum ostendatur uni, quantum alteri: Alterum quod Episcopi*

copi non sint alij alijs sublimiores vel inferiores, etsi locorum quibus præficiuntur, circumstantiæ, eiusmodi esse queant, quæ alterum altero illustriorem efficiant. Valet autem argumentum ; si omnes Episcopi sunt eiusdem, ut sacerdotij, sic & meriti, nullusque sit alio sublimior, ergo nullus œcumenicus pontifex. Hunc enim nulla ratio patitur esse non sublimiorem, aut maioris meriti, episcopis ipsis subiectis. Nec omittenda successio Apostolorum ; significat enim tam Episcopum Eugubinum, quàm Romanum esse Apostolorum successorem. Erant enim, teste Cypriano, id quod Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis. Hisce Cypriani & Hieronymi testimonijs, quum valde premi se sentiant adversarij, mirum quantis, quàm varijs artibus eludere conentur, sibi minuò nunquam satisfacientes ; uti

acutißimè oſtendit Chamierus de œcumenico pontifice; è cuius doctiſſimis diſputationibus nõnulla ſparſim deſumpſimus. Vide hiſtoriam Concilij Tridentini, lib. 7. an. 1563.

12 Eccleſia una eſt,—Habere non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, & ſalutem.] *Hæc & alia è Cypriano profert Auguſtinus, lib. 3. contr. Gaudentium Donatiſtam, cuius ab Eccleſia propter males ſeceſſum multis arguit.* Ad iuſtos enim non pertinet in Eccleſia catholica, niſi malos quos corrigere vel damnare non poſſunt, patientiſſimè tolerare, nec propter zizania de Dominico agro, nec propter paleam de Dominica area, nec propter vaſa inhonorata de Dominica domo, nec propter piſces malos de Dominicis retibus

ante

ante tempus exire, ne fruſtra exitum ſuum conentur abluere. *Graviſſima hæc S. patrum verba*) *Vtinam hodie Novatores qui clamoribus ſuis omnia replent, ſollicitius penſitarent. At vereor, ut illos ſapere ſinat*, ſuperba obſtinatio & ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor pravus adſumit, & dum ſibi ſemper aliquid amplius, quàm mitis iuſtitia depoſcit, adſumunt, de Eccleſia pereunt, & dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati veritatis lumen amittunt, *ut ipſe Auguſt. ibid.*

13 Vnum tamen caput eſt, & origo una, & una mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa.) *Hunc locum adducit Bellarminus in apologia contra ſereniſſimum Iacobum pro primatu Petri.* Facit Cyprianus (*inquit Bellarm.*) Petrum, caput, fontem, radicem Ec-

cleſiæ. *Quem ſic excipit Reverendiſsimus Lancellottus* ὁ μακαρίτης *Epiſcopus (tunc) Ciceſtrienſis in reſponſione ad apologiam, cap. 8. non Petrum Eccleſiæ, ſed immò Eccleſiam ipſam fontem facit, unde multi rivuli: lumen, unde multi radij: radicem, unde multi rami propagantur. Diſce vel ipſo Cypr.* ſic et Eccleſia, Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit. *Eccleſia (dicit) non Petrus.* Vnum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur (*an lumen hoc Petrus? aut, an is, ubique diffuſus?* nec unitas corporis ſeparatur. *Ramos ſuos Eccleſia in univerſam terram, copia ubertatis, extendit*; profluentes largiter rivos latiùs expandit, unum tamen caput, et origo una, et una mater, fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. *Caligavit hic Cardinalis: non enim (puto) Petrum dicturus eſt matrem*;

matrem ; ne caput quidem igitur. Sequitur etiam in Cypr. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, illius spiritu animamur. Quæ verba de Petro dici nequeunt, sed de Ecclesia, uti S. Augustinus etiam accepit libr. 2. contr. Cresconium Grammaticum, c. 35. & 36. & lib. 3. contr. eundem, cap. 58. & 65. Adeoque ipse Pamelius nihil tale ex his verbis in pontificis gratiam colligit, etsi optime cuperet ipsius primatui, & omnia undique in istum finem corradere soleat.

Sed manum de tabula, textu enim à fermento pontificio semel repurgato, quæ reliqua, clara satis & perspicua sunt. Etsi autem animus initio fuerat Iusti Baronij notas addidisse, illæ tamen sine damno planè omitti possunt : Pamelij vero annotationes, siquis consulere velit, Goulartium item adeat,

adeat, qui ipsum naves castigavit. Varias etiam lectiones sigillatim recensere semel statueram: at cum paucis minutiæ istæ arrideant, & olim à doctiss. Iamesio accuratè sint editæ, in Cypr. suo redivivo, (unde in suum apparatum, sed tacito authoris nomine, transtulit Possevinus) hic igitur eas præterire placuit; lectorem curiosum rogans, ne gravetur Iamesii eclogam consulere, ad cujus finem, libellū hunc diligēter cum Mss. collatum reperiet. Illarum verò loco, Epistolarū indicem subjicere visum est, quæ desiderantur in Mss. vet.

Enumeratio Epistolarum quæ desunt in Mss. Cypr. exemplaribus.

Epist. 11. Donati ad Cyprianum.
3 Clevi Romani in secessu Cypriani.
5 Cypr. ad Clerum.
6 Cypriani ad Clerum.

17 *Cypr. Confessorum universorum ad Cypr.*
19 *Caldonij ad Cypr.*
21 *Celerini ad Lucianum.*
22 *Luciani ad Celerinum.*
23 *Cypriani ad Clerum Rom.*
27 *Cypr. ad Lapsos.*
28 *Cypr. ad Clerum.*
29 *Cypr. ad Clerum Rom.*
30 *Cleri Rom. ad Cypr.*
36 *Cypr. ad Clerum.*
38 *Cypr. ad Caldonium.*
39 *Caldonij ad Cypr.*
45 *Cypr. ad Cornelium.*
46 *Cornelij ad Cypr.*
48 *Cornelij ad Cypr.*
60 *Cypr. ad Episcopos Numidas.*
67 *Cypr. ad Stephanum.*
82 *Cypr. ad Successum.*
83 *Cypr. ad Clerum & plebem.*

Hæ viginti tres epistolæ desiderantur in omnibus nostris exemplaribus Mss. illarum tamen multæ à Pamelio, aliisque citantur in negotio religionis; præsertim 21.30.46.63. 67.45. in quæ ecclesiam catholicam radicem & matricem appellat. Romanam Ecclesiam haud dubiè intelligi contendit Pamelius annot. 6. Sed utrum supposititiæ, an vero genuinæ sint istæ epistolæ, prudenti lectori relinquo indicandum, & Mss. libros appello. Nulla autem posthac recognitione opus fore *fidenter nimis asseruit Pamelius, quamvis alias optimè meritus de huius S. patris operibus.*

Enumeratio

Enumeratio Epistolarum quæ omittuntur in Romana editione Manutij, auspicijs Cardinalis Borromæi edita; quæ & omniũ optima censetur à Baronio, & Bellarmino.

Epiſt. 1. *Donati ad Cyprianum.*
3 *Cleri Romani ad Cyprianum.*
21 *Celerini ad Lucianum.*
22 *Luciani ad Celerinum.*

Has quatuor Epistolas Morelius edidit.

71 *ad Quintum.*
73 *ad Iubaianum.*
74 *ad Pompeium.*
75 *Firmiliani ad Cyprianum.*

Hæc quatuor Epiſtolas primus edidit Erasmus, quas & noſtri Mſſ. codices habent. Sed eas omiſit Manutius (idque bona cum venia Card. Borromæi;) ideo forſan, quia diſertè oſtendunt, Petrum non vendicaſſe ſibi aliquid inſolenter. aut arroganter aſſumpſiſſe, ut diceret ſe primatum habere; *contra quam hodie faciunt Petri ſucceſſores.*

FINIS.